

† Fr. I. Georgius (Laurentius) McCann (1859-1936)

(*Prov. Australasiae*)

Die 29 Iunii 1936 pie in Domino quievit C. F. Georgius (Laurentius) McCann, qui annos septemdecim iuvenatui Australiano inservierat. A die 6 Novembris 1859, qua natus est in Hibernia, usque ad annum decimum septimum fides ac pietas patriae animum eius alebant: neque huius iuvenilis disciplinae exinde oblivisci poterat. Patria reicta, in Novam Zealandiam progressus est. Ibi varia officia cum viis ferreis coniuncta, maxime novas vias construendo, exercebat: et in eis usu eminebat. In quovis gradu aetatis amantissimus erat religionis: neutquam Missam Dominicam omittebat, licet longa distantia saepe saepius locum Missae disiungeret: nunquam in benefaciendo, sive consulendo sive tribuendo pecuniam, deficiebat. Cum demum in Australiam advenisset, zelum nativum potius adauxit.

Loco quodam ubi magnus aquaeductus ducebatur permulti catholici Missae audiendae nullam facilitatem habebant. Mox tamen Georgius medium invenit. Certiorem fecit Eñum Patritium Franciscum Cardinalem Moran, qui Missam fidelibus istis promisit, dummodo oratorium commodum aedificarent. Operarii, duce Georgio, tanta diligentia consilium inivere ut, semestri elapso, Eñus Cardinalis ibi parvam ecclesiam benedicere potuerit.

Brevi in septentrionalia civitatis (N. S. W) profectus est. Integritati ac pietati Deus prosperos successus dedit, ea ratione ut in circumstantiis si-

milibus alios opifices adhibere potuerit. Ad eos quoque subinde sacerdotem mittere studebat. Ipse Excmus Episcopus Lismorensis Ioannes Carroll persaepe pusillo gregi ministrabat. Qua de causa inter Episcopum et Georgium amicitia continua et firma exorta est. Pro opportunitate Episcopus nuntios mittebat, quando se adventurum esse speraret: deinde Georgius duos equos parabat quibus ambo per longam viam veherentur.

Semper bono faciendo intentus gaudens deducebat Episcopum vel alium missionarium ad homines in viam salutis ducendos. Fertur etiam quoniam, cum nox eos oppressisset, folia collecta accendisse, et in terra cubans vel ephippio suffultus vigilasse per noctem, dum sacerdos haud procul dormit.

Teste Episcopo hic vir permultos oves errantes, in casibus quibus sacerdotes operam perdiderant, tutos in ovile Boni Pastoris reduxit. Ratio et via, qua utebatur, erat simplex: inquirebat num quis extraneus esset catholicus necnon praxi fidei devotus; advenam indiligentem monebat instruens quoque, prout opportebat, et ad sacramenta recipienda inducens; praeterea bonos libros tradebat.

Anno 1914, legendo S. Ignatii librum ab Episcopo sibi missum, vitam religiosam cupere coepit. Haud multo post Superiores rogavit ut in familiam S. Alfonsi reciperetur: quem in finem et ad satius cognoscendum regimen nostrae vitae ad Tweed Heads prope domum nostram consedit. Quibus petitionibus et obsecrationibus perseveravit usque ad diem quo consensus Superiorum desiderio eius satisfecit.

Sub invocatione S. Laurentii vitam coenobiticam incepit, cuius Martyris constantia ipsi, aetate iam adeo proiecto, tempore novitiatus opus erat; nam tentationes graves subiit, etiam timorem quemdam, ne a Deo reiectus foret dimittendus. Die autem professionis, 15 Sept. 1918, omnis molestia omnino fugit, neque in posterum rediit.

E novitiatu petivit Ballarat: aliquibusque post mensibus domum iuvenatus Galong, ubi reliquam vitam egit. Usque ad mortem fidelis erat frater et amicus alumnorum ad S. Clementis degentium. Maxima cum assiduitate iuvenatum curabat. Iuvenistas ipsos amabat, quatenus in iis alteros Christos futuros videbat. Ideoque gaudium verum habebat, si forte ab iis sacerdotio inititatis benedictionem petere poterat. Sollicitus erat de omni re quae ad communitatem pertinebat, a diluculo primo usque ad horam decimam noctis vigilans, ut a damnis cuiuslibet generis — imbre, vento, igni — caveret. Hortum diligenter colebat: in eo aditum ad viam publicam quingentorum passuum construxit, necnon natatorium grandem pro iuvenistis.

Propterea quod cum assidua cognitione, praesentiae divinae vivebat, nunquam a precando cessabat. Feria II quadam, cum in Casu Ascetico quaestio proposita esset: ‘Sitne difficultatibus orationi sociatis utendum

ut mediis abnegationis sui'? bonus Frater cum impetu zeli respondit: 'At, Reverende Pater, nonne delectare nos debet oratio?' Domini nostri Eucharistici insignis erat amator. Data permissione, semihora ante communitem e lecto surgere solebat ut coram Sanctissimo adoraret. Per diem quoque identidem oratorium visitabat: et diebus dominicis ac festis adesse multis Missis gaudebat. Quotidie, precibus vespertinis finitis, diem claudebat eo modo quo incepérat: quamobrem ipse semper erat ultimus qui ex oratorio abiret.

Mense Iunio 1936 graviter e crure laborare coepit, et in dies ingravescerat malum usque ad diem decimum octavum. Dolores animo alacris omnes sustinebat, adeo ut quosdam adderet actus paenitentiae: in quibus memoratu est digna disciplina, vespere sabbati in honorem Beatae Mariae Virginis facta.

Postridie confratres eum deteriorem factum in nosocomium ad SS. Cordis Iesu in Cootamundra tulerunt. Paulo post C. Frater ultima sacramenta recepit; nam, morbo cruris per totum corpus extenso, cor aegroti malis acerbissimis debilitatum est. Per novem dies et noctes, somno orbatus, membris corporis turgidis tormento cruciatis, siti crudeli arescebat. Nunquam vero a precibus iaculatoriis destitit. Imago Christi crucifixi, quam manu sedulo tenens frequenter osculabatur, in doloribus agoniae suaे protractae patientiam conferebat. Salutatione Angelica recitata, adiuvante quadam devota moniali quae eum curabat, vesperi diei SS. Apostoli sacri, 29 Iunii, pie in Domino obdormivit.

Die 1 Iulii, habita Missa sollemni de Requie, adstantibus moeste iuvenistis cum confratribus ad S. Clementis, C. F. Laurentius ritu conveniente sepultus est. Cum sit primus confratrum in illo coemeterio nostro iacentium, unanimis sententia erat: 'Bene incepimus; quia primus nostrum quem terrae dedimus revera sanctus erat'.

Facile non est secernere inter virtutes quae vitam confratris nostri magis illustrarint. Humilis erat et obediens, patiens, orationi deditus, amator Iesu Eucharistici et Matris Mariae perpetuo succurrentis, eximius cultor S. P. N. Alfonsi et Congregationis, plenus zelo ac caritate in animas hominum, observantiae regularis studiosus, brevi, exemplar virtutum omnium quae perfectum Redemptoristam ornant. Quapropter confidimus animam eius ipsi Iesu Christo per Immaculatam Virginem, Sanctum Ioseph, Sanctum Alfonsum sisti meruisse. R. I. P.